popełnione, iako tesz zabiegaiąc temu, aby iakiego praeiudicium y szkody w sprawach swoich na rokach wyżey mianowanych Pińskich, z różnemi osobami przypadaiących, nie popadł, powtore y potrzecie swiadczy y urzędowi tutecznemu opowiada się.

Тоже, л. 636.

№ 111.—1634 г. 21 Августа.

Грамота короля Владислава IV Холмскому магистрату о взиманіи десятины въ пользу Холмской латинской приходской церкви.

Actum in castro Chełmensi feria secunda ante festum sancti Bartholomaei apostoli proxima, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo quarto.

Ex parte Commendarii Chelmensis oblata mandati.

Ad postulationem venerabilis Joannis Bobrowski, commendarii perpetui ecclesiae parochialis Chelmensis, praepositi hospitalis Sancti Spiritus Chelmensis, personaliter coram officio actisque praesentibus castrensibus capitanealibus Chełmensibus comparentis, officiose factam, officium praesens capitaneale Chełmense literas infrascriptas mandati sacrae regiae majestatis, eidem venerabilli commendario Chelmensi ratione infrascriptorum per sacram regiam majestatem datas, manu illustris et magnifici Thomae Zamoyski, vicecancellarii regni, propria subscriptas et sigillo minoris cancellariae regni Poloniae obsignatas, ad acta praesentia per oblatam porrectas, suscepit et actis suis inseri jussit, quarum tenor est talis:

Vladislaus Quartus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogitiae, Livoniaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex.

Famatis proconsuli, consulibus, advocato, scabinis totique magistratui civitatis nostrae Chelmensis, fidelibus nobis dilectis gratiam nostram regiam. Famati fideles, nobis dilecti! Intercedit causa et actio inter reverendum Joannem Bobrowski, commendarium perpetuum et praepositum hospitalis Sancti Spiritus Chelmensis, actorem ex una, et famatum Romanum Żabierowicz, civem Chelmensem, conventum et occassione decimae manipularis ex agris Rutenicis citatum, parte ex altera, per viam citationum nostrarum ad judicium nostrum intentata ac ratione usus eiusdem decimae ab annis citra vel ultra centum instituta, quo usu eiusdem decimae ecclesia parochialis Chelmensis magnam deminutionem et cladem passa et hucusque patitur. Quare fidelitatibus vestris serio mandamus, ita omnino habere volentes, ut, quamprimum literis hisce mandati nostri requisiti et obdestinati fueritis, eandem decimam manipularem ex agris vel campis Ruthenicis ad affectationem eiusdem reverendi commendarii et praepositi hospitalis Chelmensis sequestro suo tantisper subiiciatis et penes se tam diu detineatis, quam diu causa haec per nos judiciumque nostrum cognita finaliterque decisa fuerit; in agros vero Lechiticos nullo modo vos ingeratis, neque eidem commendario usum antiquum in decimando praepedire praesumatis, secus pro gratia nostra et officiorum suorum debito non facturi. Datum Varsaviae die V mensis Augusti, anno Domini MDCXXXIV, regnorum nostrorum secundo. Ad mandatum sacrae regiae majestatis proprium. Stan. Siedlecki mp. Zamoyski, vicecancellarius regni. Quarum literarum mandati suprascripti originale idem offerens sibi extraditum esse seque illud ab officio praesenti recepisse publice recognovit.

Тоже, л. 638—640.

Цифровая версия ресурса Национальной академии наук Беларуси

№ 112.—1634 г. 21 Августа.

Позовъ судьямъ Холмскаго гродскаго суда о явкѣ къ королю для разсмотрѣнія жалобы Бобровскаго на неправильное рѣшеніе дѣла о взиманіи десятины въ пользу Холмской латинской церкви.

Ex parte ejusdem oblata mandati.

Ad affectationem venerabilis Joannis Bobrowski, commendarii perpetui ecclesiae parochialis Chelmensis, praepositi hospitalis Sancti Spiritus Chelmensis, personaliter coram officio actisque praesentibus castrensibus capitanealibus Chlemensibus comparentis, officiose factam, officium praesens castrense capitaneale Chelmense citationem sive mandatum sacrae regiae majestatis infrascriptum, per eundem offerentem super famatos proconsulem et consules civitatis Chelmensis, uti judices causae infrascriptae, et famatum Roman Zabirowicz, partem eorum adhaerentem, ratione infrascriptorum impetratum, sigillo minoris cancellariae regni Poloniae obsignatum, ad acta praesentia per oblatam porrectum, suscepit, et actis suis inscribere demandavit, cujus tenor sequitur talis:

Vladislaus Quartus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae Livoniaeque, nec non Svecorum, Gottorum, Vandalorumque haereditarius Rex.

Vobis famatis Paulo Puchała, Laurentio Arnolphik Parzypieski, Hryckoni Krupa et Conrado Zabierowicz, proconsuli et consulibus civitatis nostrae Chelmensis, uti judicibus, atque famato Romano Zabierowicz, uti parti adhaerenti, de eisdem officiis, personis ac causa infrascripta mandamus, ut coram nobis et judicio nostro Varsaviae, aut ubi tunc, cum curia nostra feliciter constituti fuerimus, a positione praesentis citationis nostrae in quatuor septimanis personaliter et peremptorie compareatis, ad instantiam instigatoris judicii nostri, qui vos ex delatione reverendi Joannis Bobrowski, commendarii Chelmensis, vos quidem judices causae infrascriptae, uti latores gravaminosae sententiae et injuridici decreti in causa, per actorem supranominatum, ratione decimae manipularis de bonis et fundis Rutenicis, ad capitaneatum Chełmensem spectantibus, eidem actori et antecessoribus ejus ab annis citra vel ultra centum debitae et concernentis, per vos abjudicationis, te vero Roman Zabierowicz ritus graeci, uti partem adhaerentem, cum non modo eandem decimam de fundis tuis dare denegas, verum in ludibrium et elusionem causae praesentis, subordinato quodam plenipotente, eundem actorem extra normam et mentem legis tumque usitatam consuetudinem in evasione citationis condemnasti atque in contumaciam praecipitanter actorem, qui nisi in fine judiciorum condemnatur, approbationeque decreti civilis Chelmensis gravabilis, quo idem actor illegitime et injuridice per vos aggravatus et a decima abjudicatus, in damnum actoris obtinuisti; quod sibi contra vos, a causa principali non recedendo, pensat ad summam trium millium marcarum polonicalium. Quare ut staretis, ad praemissa, quae vobis in termino proponentur, respondeatis cumque sic praecipitanter in elusionem causae processerit, rationem detis, citamini: sitis igitur ad praemissa, nobis futuro in termino deducenda, personaliter et peremptorie parituri et responsuri. Datum Varsaviae sabbatho pridie festi Transfigurationis Christi Domini *), anno ejusdem millesimo sexcentesimo trigesimo quarto. Siedlicki mp. Cujus citationis sive mandati originale idem offerens sibi extraditum esse seque illud ab officio praesenti recepisse publice recognovit.

Тоже.

---

*) 5 августа.

Цифровая версия ресурса Национальной академии наук Беларуси

№ 113.—1634 г. 7 Сентября.

Заявленіе епископа Холмскаго Меѳодія Терлецкаго противъ Константина Вишневецкаго о нападеніи его слугъ и нанесеніи побоевъ свитѣ епископа.

Actum in castro Chełmensi feria quinta in vigilia festi Nativitatis Beatissimae Mariae Virginis, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo quarto.

Ex parte episcopi ritus graeci et famulorum ejus posita.

Ad officium et acta praesentia castrensia capitanealia Chełmensia personaliter veniens ministerialis regni generalis nobilis Andreas Jaworski de Luboml, officio praesenti bene notus, in vim suae verae ac fidelis relationis publice libereque recognovit, quia ipse citationem literalem castrensem capitanealem Chełmensem authenticam, pro terminis judiciorum castrensibus capitanealibus Chełmensibus editam ex parte et ad instantiam reverendissimi in Christo patris domini Methodii de Terło Terlecki, Dei gratia Chełmensis et Bełzensis ritus graeci episcopi, et venerabilis Theodori Licinii Namysłowski, presbiteri ejusdem ritus graeci, atque nobilium Georgii Szyrma, Gregorii Ziabka, Theodori Godebski, Joannis Brodzki, Joannis Babinski, Thomae Łopacki, Zachariae Ostrowski, Stanislai Skorbicki, Pauli Paszkowski — domini et famulorum conjunctim, uti in causa conjuncta, actorum, in et super illustrem et magnificum Constantinum, ducem Visniovecensem, bonorum villarum Radziechow et Maszow obligatorium possessorem, de bonis ipsius generaliter omnibus citatum, quatenus ipse nobilem Andream Starczanowski, famulum suum, factorem bonorum praefatorum, impossessionatum, in administrationem justitiae in causa, ipsi instituta ideo, quia ipse una cum tota communitate villae praefatae Maszow (ratione quorum ipsi citato aliisque haeredibus et possessoribus eorundem bonorum seorsiva actio instituitur) tempore proxime praeterito, in protestatione, eo nomine facta, specificato, spretis juribus divinis et humanis poenisque, in legibus regni expressis, floccipensis, compertum habens eundem episcopum, actorem, cum praefatis famulis, actoribus, ecclesias ruthenicas, jurisdictioni suae et dioecesi Chełmensi subjectas, atque presbiteros, circa easdem ecclesias manentes, pro debito officii sui visitare atque gratia similis visitationis ecclesiae Maszoviensis et poponis ejusdem, ibidem manentis, appropinquare et eandem visitare velle, facta inter se cum praefatis subditis mutua cointelligentia, actori, sabbatho ante dominicam Quinquagesimae, proxime praeterito, villam eandem intranti, cum baculis et fustibus obviam occurrit, eundemque, nedum ad ecclesiam eandem venerit, etiam in domum diversorii seu tabernae et ejusdem poponis mittere noluit, tandem verbis inhonestis, clamoribus, comminationibus et diffidationibus eosdem actores inermes et pacificos, nihil mali sperantes, vi et violenter affecerunt atque, fustibus, lignis, baculis et lapidibus in actores proiiciendo et eos percutiendo, ignominiose tractaverunt et nonnullos ex actoribus vulneribus infrascriptis, nimirum Theodorum Licinium Namysłowski, presbiterum, primo in cubitum et pugnum manus dextrae pertruso cruento, secundo penes hoc idem concusso livido, item in juncturam ejusdem manus dextrae concusso intumefacto; item nobiles Georgium Szyrma in manum sinistram inter cubitum et pugnum vulneribus sex concussis lividis; Gregorium Ziabka in latus sinistrum vulneribus tribus concussis lividis, item in latus dextrum vulneribus duobus concussis lividis; Theodorum Godebski in supercilium sinistrum concusso livido, deinde in cornu capitis partis sinistrae concusso tumefacto, item in brachium dextrum vulneribus quatuor concussis lividis, sanguine suffusis; Joannem Brodzki in brachium dextrum vulneribus duobus concussis lividis, item inter cubitum et brachium manus sinistrae vulneribus quatuor concussis lividis; Joannem Babinski in supercilium sinistrum concusso livido, deinde in cornu capitis partis sinistrae concusso tumefacto, item in brachium sinistrum vulneribus quatuor concussis lividis; Thomam Łopacki in cornu capitis partis dextrae concusso tumefacto, item in manum sinistram inter cubitum et brachium vulneribus tribus concussis lividis; Zachariam Ostrowski in brachium

sinistrum concusso tumefacto, item in genam faciei partis dextrae fricato cruento, item inferius cubitum manus sinistrae vulneribus tribus concussis lividis, item in crus pedis dextri vulneribus quatuor concussis lividis, item in crus pedis sinistri itidem vulneribus quatuor concussis lividis, Stanislaum Skorbicki in manum dextram inter cubitum et brachium vulneribus tribus lividis concussis, item in scapulam dextram vulneribus duobus concussis lividis; Paulum Paszkowski in pectus vulneribus quatuor concussis lividis, item in manum sinistram inter cubitum et pugnum vulneribus quinque lividis et alios servitores nonnullos et haydones similibus vulneribus crudeliter et violenter sauciavit et convulneravit, pacem publicam et securitatem viarum publicarum et actum jurisdictionis in visitatione praefata exercentem violavit et in poenas, legibus regni expressas, incurrit et easdem demeruit, prout ea omnia protestationes et obductiones latius enarrant, — coram judicio castrensi capitaneali Chełmensi statuat ad videndum, ex ipso statuendo justitiam debitam et competentem per nos judiciumque nostrum administrari; in quantum vero eundem impossessionatum servitorem suum statuere recusaverit, ad attentandum ipsi pro illo responsionem injungi, citatione eadem latiore—feria secunda post dominicam Misericordiae, proxime praeterita, in bonis villae Radziechow curiaque ibidem sita posuit, ac de positione nobili Starczanowska, virgini, ibidem protunc praeventae, publicavit de iuris forma.

Тоже, л. 679—80.

№ 114.—1634 г. 23 Декабря.

Заявленіе уніатскаго священника Хотеничской церкви Григорія Гочевича о томъ, что двое Грубешовскихъ мѣщанъ препятствовали ему произносить въ церкви проповѣдь, прерывая его крикомъ и пѣніемъ непристойныхъ пѣсень.

Actum in castro Chełmensi sabbatho ante festum Nativitatis Domini uostri Jesu Christi proxima, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo quarto.

Presbiter Chotecensis protestatur.

Ad officium et acta praesentia castrensia capitanealia Chełmensia personaliter veniens venerabilis Gregorius Goczewicz, presbiter ritus graeci ecclesiae Chotecensis, solenniter et officiose in et contra famatos Roman Stabniowicz et Gabrielem Koniusczyk, oppidanos Hrubieszowienses, protestatur ideo, quia ipsi, divinis et humanis legibus postpositis, poenis in eisdem legibus expressis floccipensis, timore Dei et dilectione proximi posthabita, unionem sanctam odio prosequentes, die decima sexta Decembris *), id est sabbatho in festo sancti Nicolai pontificis, juxta calendarium ritus graeci incidente, superveniendo in ecclesiam ruthenicam tituli sancti Nicolai, die encaeniis dicata, Hrubieszowiae sitam, ibidemque, dum protestans juxta morem concionabatur, iidem suprascripti oppidani Hrubieszowienses, non observata reverentia, imo in summum dedecus et dishonorem ecclesiae Dei, concionem praedictam verbis inhonestis et cantilenis obscoenis, auditui intollerabilibus et horribilibus, aliquoties repetitis, vociferationibusque interturbarunt et praepediverunt, et eundem concionatorem de ambona clamoribus itidem et contemptibus deturbarunt, et eo suo progressu pacem et securitatem ecclesiasticam, juribus regni cautam et provisam, violaverunt et contra honorem divinum et humanum excesserunt poenasque, in legibus regni eo nomine sancitas, excessui eorum condignas, demeruerunt. De quo protestans contra eosdem iterum atque iterum protestatur officioque praesenti manifestatus est, salva tamen melioratione ejusdem protestationis in posterum sibi, prout de jure venerit, reservata.

Тоже, л. 795.

*) По новому стилю; въ XVII в. 16 декабря совпадало съ 6 декабря стар. ст.

№ 115.—1635 г. 5 Іюля.

Жалоба епископа Меѳодія Терлецкаго на коммисаровъ, назначенныхъ королемъ для примиренія уніатовъ съ православными, которые вмѣсто примиренія возбуждали православныхъ противъ уніатскаго епископа.

Actum in castro Chełmensi feria quinta post festum Visitationis Beatissimae Mariae Virginis proxima, anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo quinto.

Episcopus ritus graeci Chełmensis protestatur.

Ex copia.

Ad officium et acta praesentia castrensia capitanealia Chełmensia personaliter veniens reverendissimus in Christo pater dominus Methodius Terlecki de Terło, Chelmensis et Bełzensis ritus graeci episcopus, solenniter contra generosos Stanislaum Gabrielem Zborowski, capitaneum Hrodlensem, Joannem Staniszewski, claviatorem Luceoriensem, Hrehorium Czetwertinski, Andream Zahorowski et Vasilium Rohożynski—commissarios, a sacra regia majestate ad conglutinandam concordiam inter unitos et disunitos, non autem ad commovendum populum unitissimum contra legitimos pastores et non in inclyta civitate Chelmensi, ubi summa concordia unionis a saeculo viguit vixitque, assignatos, ideo, quia illi, legibus divinis et ecclesiasticis privilegiisque et praerogativis, juribus positivis postpositis, nulla habita ratione punctorum, in electione serenissimi et invictissimi regis Vladislai conscriptorum, et ipsa commissione, in quibus civitatis praenominatae et totius dioeceseos Chelmensis nulla mentio facta est et contra quam universalis protestatio intercessit, non attento juris ecclesiastici ordine, ex cuius praescripto in causa religionis spirituales commissarii solimet vel conjuncti esse debuerunt, iam post translapsam diem primam Junii mensis proxime praeteriti, in commissione assignatam, et post desertatam eam ipsam commissionem alteram functionem commissionis sibi usurpaverunt. Inprimisque innotescentiam quandam populum unitissimum ad disunionem privata authoritate ad valvas ecclesiarum unitarum affigi et eandem tam ex ambona, quam et in foro publico proclamare et denuntiare iusserunt; iique diem quintam mensis Julii, proxime praeteritam, (ad) exequendam huiusmodi in populo commotionem, idque Chelmae, in quam nullam potestatem habuerunt, praefixerunt et vigore istius praefixionis generosus quidem dominus capitaneus Hrodlensis iam post occasum solis in castrum prius, reliqui vero paulo anterius Chelmam venerunt, tandem omnes in castrum praesens coiverunt et ibidem ex incitatione generosi Semion Hulewicz Wojutynski, notarii terrestris Luceoriensis, turbatoris pacis publicae, iam nocte imminente, extra omnem juris ordinem et praxim usitatam, non attentis protestationibus publicis, contra eam commissionem productis, nec attentis instructionibus terrae Chelmensis, nuntiis pro conventu proxime praeterito datis, nec intellecta commissione, in qua nulla mentio Chelmae et totius dioecesis facta est, temere ad solam concitationem tumultus et rebellionis jurisdictionem suam fundaverunt et eandem in tota civitate et foro publico proclamare cum summa conturbatione pacis publicae demandaverunt, quo suo progressu totam communitatem plebis rudioris ritus graeci unitissimam ad disunionem et ad consurgendum contra suum pastorem concitaverunt et maximam occasionem tumultus et rebellionis praebuerunt. Tandem totum negotium e feria tertia in diem hodiernam reiecerunt, ipsi vero per feriam quartam totam diem inter medium vacaverunt, quo denique vacationis tempore nonnulli ex dominis commissariis ritus graeci, nimirum Zahorowski et Rohozynski, multis variisque nominibus plebem ad rebellionem allexerunt et praenominatum notarium Luceoriensem, turbatorem pacis publicae, maxime juverunt; ad extremum die hodierna illum actum suum reassumserunt, quem multis variis rationibus ac modis in effectum deducere conati sunt; in qua concitatione totam illam diem consumpserunt, sicque infectis per Dei gratiam rebus, sed ingressu malo et re pessimo exemplo Chelmam civitatem unitissimam interducti, discesserunt. Proinde protestans tam de